Rodericus Portuen(sis) Oliverius Sabinen(sis) Epi Johannes tit. sancte Praxedis Johannes tit. sancti Marcelli Petrus tit. sancti Nicolai inter imagines Johannes Jacobus tit. sancti Stephani in Celiomonte pbr Georgius tit. sancte Marie in Transtiberim Johannes tit. sancte Sabine Johannes tit. sancti Vitalis pbri Raphael sancti Georgii et Johannes sancte Marie in Aquiro Diaconi ac Jeronimus tit. sancti Grisogoni pbr Miseratione divina sancte Romane ecclesie Cardinales Universis et singulis Christifidelibus presentes litteras inspecturis Salutem in Domino sempiternam. Cum Christifidelium animarum salus procuratur cum ipsorum devotio ad laudem omnipotentis dei et sanctorum eius per indulgentiarum munera excitatur Cupientes igitur ut parochialis ecclesia fundata sub vocabulo sancti Galli in Treffen Lavant. dioc. congruis frequentetur honoribus et a Christifidelibus iugiter veneretur ac in suis structuris et edificiis debite reparetur conservetur et manuteneatur necnon libris Calicibus luminaribus ac aliis ornamentis ecclesiasticis decenter muniatur in ea quoque cultus augeatur divinus Utque Christifideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem Et ad reparationem conservationem manutentionem et munitionem ac alia opera premissa manus promptius porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos De omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in singulis videlicet Annunciationis beate Marie Nativitatis sancti Johannis baptiste eiusdem sancti Galli sancti Mauricii et ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus et diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim et ad premissa manus porrexerint adiutrices ut prefertur Nos Cardinales prefati videlicet quilibet nostrum Centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis In quorum omnium et singulorum fidem presentes nostras litteras ad humilem supplicationem Dilectorum in Christo Michaelis ... et Provisorum dicte ecclesie fieri nostrorumque solitorum sigillorum iussimus appensione muniri Dat. Rome in domibus nostris Sub Anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto die vero vicesima sexta Mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia pape Octavi Anno Primo.

Jo. Ublin